

Præterea, Universale præcedit sensum, ut alias probatum est; ergo præcedit intellectum agentem.

Præterea, Intellectus agens et possibilis sunt una potentia: alias quilibet homo haberet duos intellectus: sed unius potentia est unum obiectum: quare si præcedit actum unius, præcedit actum alterius.

Præterea, Secundum hoc non esset generatio univoca sine actione intellectus agentis. Dicitur forte quod non habeat aliquam unitatem realem generans et genitum, sed similitudinem. Contra, quia proximum fundamentum similitudinis est unum, V Metaphysicæ: sed non generans neque genitum, ergo aliquid commune utriusque.

Contra secundam vero responsionem arguit: quia nullo intellectu considerante non erit universale in actu, et ita scientia habitualis non esset obiecti universalis in actu.

Præterea, Obiectum, in quantum est prius actu, non intelligitur sub hoc modo: ergo vel sub nullo, vel sub opposito modo: sed non sub nullo; ergo, etc.

Præterea, Aut ille modus est factus ab intellectu, aut non: si non, habetur intentum: si sic, ergo non est necessarius in obiecto, quia prius obiectum est intellectus sine illo modo causato per intellectum obiecti.

Ad has instantias respondetur, præsupponendo sæpe jam dictum, quod universale duo dicit, rem et aptitudinem, seu universalitatem. Universale pro re posita in prædicamento est prædicabile, scibile est obiectum intellectus, diffinibile, et huiusmodi. Universale autem pro aptitudine est modus seu conditio rei prædicamentalis prædicabilis, scibilis, diffinibilis, etc. neque intellectus agens, aut possibilis facit rem, sed modum tantum.

Ad primam ergo conceditur, quod universale pro eo quod fit ab intellectu agente, non est in prædicamento substantiæ; ulterior autem consequentia nullam habet apparentiam.

Ad secundam negatur antecedens, visus enim etsi sit coloris universaliter, ut habes, a S. Thoma, Prima secundæ, quæst. xxvi, art. 6, non tamen est coloris universalis.

Ad tertiam similiter negatur antecedens; necessarium enim est ut dici ut III de Anima, text. comm. xvii, in anima nostra esse duos intellectus, scilicet agentem et possibilem, qui non possunt esse eadem potentia, cum potentia activa et potentia passiva non sint eadem apud Aristotelem.

Ad quartam negatur consequentia, et dicitur quod responsio illa ibi data est optima sane intellecta. Ad improbationem ejus dicitur, quod similitudo fundatur supra res ipsas, puta duas albedines, vel humanitates, tanquam fundamentum: et quod unitas non est fundamentum similitudinis, sed conditio fundamenti: fundatur enim similitudo propria dicta supra duas res habentes illam conditionem, scilicet mutua negationem distinctionis formalis, puta duas albedines: et hoc modo intelligendus est Aristoteles, V Metaph. Et dato quod unitas esset fundamentum, adhuc non sequeretur, dari aliquid commune unum utriusque: dicam enim quod similitudo non fundatur supra unum, quod est generans, neque supra unum, quod est genitum, sed supra unum, quod sunt generans et genitum. Jam autem declaratum est supra committi fallaciam consequentis, si sic procedatur: generans et genitum sunt unum formaliter, ergo habent aliquid unum commune utriusque.

Ad primum eorum, quæ contra secundam responsionem adducuntur, dicitur quod præcise loquendo, de intellectu possibili, secatur universale, quemadmodum scientia: ita quod scientia in actu est universalis in actu: scientia in potentia est universalis in potentia, et scientia in habitu est universalis in habitu, quod tunc accidit, quando cum volumus ipsum, in actu facimus. Egredivimus autem ad intellectum agentem, dicitur quod nullo intellectu considerante, dummodo producta sit species intelligibilis, datur universale in actu: eo quod philosopho dormiente, rosa, cujus species intelligibilis in illius intellectu conservatur, denominatur representata absque hoc, et nunc actu intelligibilis, etc.

Ad secundum dicitur, quod obiectum ut prius actu nullum sibi vindicat modum; abstrahit enim ab omni esse et modo quidditas.

Ad tertium dicitur, quod modus ille fit ab intellectu agente, et cum inferitur; ergo non est necessarium, negatur consequentia: quia potentia activa non præsupponit conditionem sui obiecti, sed facit. Dicitur secundo, quod dato quod non fieret ab intellectu agente, fit ab intellectu possibili, et similiter negatur illa consequentia. Ad probationem dicitur, quod falsum assumit, scilicet quod prius intellectus intelligit rem, deinde facit ejus modum: simul enim utrumque fit: intellectus enim formando conceptam rem absque hoc et nunc apud se facit: neque potest imaginari, quod prius faciat rem, deinde absque hoc et nunc, sicut Socrates simul generat hominem nunc, et non prius hominem, deinde hunc.

Ad quartum negatur, quod relatio mensuræ fundetur in aliquo universali: fundatur enim neque in universali, neque in singulari, ut sic: sed in natura una formaliter que in singulari reperitur: et sic non est unum numero, ut sic mensura aliorum, sed unum formaliter.

Ad quintum dicitur, quod nihil aliud concludit, nisi quod universale pro re est extra animam: sic enim accepto universali inest primo passio seu realis operatio; homo enim est cui primo convenit ridere, non homo universalis; alioquin risibile non inveniretur in homine non universali, puta Sorte.

Ad sextum dicitur similiter, quod extrema contrarietatis sunt res ipsæ non res particulares ut sic, neque universales: aliter res non universales scilicet hæc albedo et hæc nigredo, non essent contrariæ.

Ad septimum dicitur, quod stant ista duo simul: universale prædicatur de rebus, et, universale fit ab intellectu: eo quod universale pro re est id quod prædicatur, et quoad hoc non fit ab intellectu. Universale autem pro aptitudine est conditio rei, quæ prædicatur, et talis fit ab intellectu: prædicatio enim non debetur rebus nisi habentibus conditionem aliquam intentionalem. Unde et Aristoteles, VII Metaph., text. comm. xxvi, ait, quod substantia non dicitur de subiecto: quia loquebatur de ea secundum suam naturam. In prædicamentis vero ubi de substantia induta accidentia intentionalia loquebatur, dixit substantiam dici de subiecto.

Ad id vero, quod ibi additur, dicitur quod omnia illa verificantur de universali pro re: sed exponenda est affirmativa propositio negative, ut sit sensus: universalis sunt ubique, etc., id est, naturæ ipsæ denominatæ universales non terminant sibi locum neque tempus. Similiter dicitur ad id, quod subjungitur, quod forma et materia pertinent ad quantitatem universalem, id est rei physicæ, quæ denominatur universalis. Similiter universalium tantum est definitio, id est rerum quæ denominatæ sunt universales. Similiter res denominatæ genera, species, et

differentiæ sunt extra animam : conditiones autem earum sunt per opus intellectus.

Ad octavum dicitur, quod per ly singulare, duo intelligere possumus : quandoque intelligitur ipsa singularitas, quandoque totum, scilicet res singularis. Primo modo accipiendum singulare, conceditur consequentia, sed antecedens non est verum. Secundo modo antecedens Peripateticum est, sed consequentia nihil valet : supra enim jam diximus, in singulari multas unitates existere, et non tantum numeralem.

Et quamvis hæc natura intellecta habeat rationem universalis, secundum quod comparatur ad res, quæ sunt extra animam, quia est una similitudo omnium : tamen secundum quod habet esse in hoc intellectu vel in illo, est species quædam intellecta particularis : et ideo patet defectus commentatoris in III de Anima, qui voluit, ex universalitate formæ intellectæ unitatem intellectus concludere ; quia non est universalitas illius formæ secundum hoc esse, quod habet intellectum, sed secundum quod ad res refertur, ut similitudo rerum. Sicut etiam, si esset una statua corporea representans multos homines, constaret quod illa imago vel species statuæ haberet esse singulare et proprium, secundum quod esset in hac materia, sed haberet rationem communitatatis, secundum quod esset commune repræsentativum plurimum.

In hac secunda parte capituli hujus Aver. errorem remove re intendit, quod in III de Anima, comm. v, ex universalitate formæ intellectæ voluit declarare unitatem intellectus hoc modo : quod est universale, suam universalitatem retinens est indistinctum numero : forma intellecta, id est natura secundum esse in intellectu subjective est universalis suam universalitatem retinens : ergo est indistincta numero ; igitur subjectum ejus quod est intellectus possibilis non est distinctum numero, et sic unus intellectus in omnibus hominibus concluditur. Major videtur ex se nota ; quia universalitati opponitur distinctio numeralis. Minor vero ex eo patet quod species intelligibilis representat universale. Hæc ratio etsi alterius principium exigit pro sui dissolutione, et pro sui probatione, altamen quantum præsentis intentionis est ex dictis sic destruit : universale est aliquod duplex, scilicet in essendo et in representando. Universale in essendo esset, si daretur natura hominis separata, ut idea Platonis, et de tali universali vera est major, sed falsa minor. Vera quidem major, quia tali universali, cum secundum esse universalitatem sortiatur, secundum esse quoque repugnabit distinctio numeralis : unde impossibile est imaginari plures homines universales. Falsa autem est minor, quia species intelligibilis non est universalis in essendo, cum sit in singulari subjecto, scilicet intellectu possibili, qui individuum quoddam est, licet immateriale. Universale vero in representando (ut dictum fuit) est quod rem universalem representat : et de tali universali falsa est major, licet minor sit vera ; et majoris quidem falsitas eo cognosci potest, quod tale universale universalitatem non habet secundum suum esse, quo respicit subjectum, unde unitas vel pluralitas numeralis in accidentibus oritur : sed habet universalitatem secundum representationem, qua respicit objectum : unde non repræsentat objecta distincta

numero, sed unum et idem objectum omnium representant omnes species ejusdem rei, puta species humanitatis in te et in me : sicut eadem Sortis facies a pluribus per plures species idem omnino representantes videtur. Minoris autem sic intellectæ veritas ex supradictis liquet : species enim intelligibilis representat naturam, non representando conditiones particulares ejus ut dictum est : hæc est sententia litteræ in hac parte.

Et quia naturæ humanæ secundum suam absolutam considerationem convenit, quod prædicatur de Sorte, et ratio speciei non convenit sibi secundum suam absolutam, scilicet humanæ naturæ considerationem, sed est de accidentibus, quæ consequuntur eam, secundum quoddam esse, quod habet in intellectu : ideo nomen speciei non prædicatur de Sorte, ut dicitur, Sortes est species, quod de necessitate accideret, si ratio speciei conveniret homini secundum esse, quod habet in Sorte, vel secundum suam absolutam considerationem, scilicet in quantum est homo ; quicquid enim convenit homini, in quantum est homo, prædicatur de Sorte.

In hac parte tertia capituli hujus talem objectionem ex supradictis excludere intendit : quia quod prædicatur de predicato prædicatur et de subjecto : sed species prædicatur de homine, quod est prædicatum respectu Sortis, ergo species prædicatur de Sorte : et sic Sortes erit species ; conclusio est falsa : major vera ex antepredicamentis habetur. Hujus objectionis peccatum unde oritur ex supra posita distinctione eorum quæ conveniunt naturæ manifestat simul ex hoc insinuas quam conveniens tradita fuerit doctrina, cum ex ea difficultates accidentales dissolvuntur. Cum enim dictum sit, quod triplicia sunt quæ de natura prædicantur ; quædam scilicet absolute, et quædam secundum esse in singulari ; ea quæ conveniunt naturæ secundum esse in intellectu, non conveniunt ei absolute, neque secundum esse in singulari cum opposita sint : et ideo in prædicto processu error accidit, quia denominatio specifica homini secundum esse in intellectu convenit, et concluditur de homine secundum esse in singulari, dum inferitur : ergo Sortes est species. Ut autem ad formam argumenti dici possit, innuit talem distinctionem : prædicari de predicato contingit dupliciter. Uno modo ut prædicato, id est secundum quod illud prædicatur de altero, sicut animal prædicatur de predicato Sortis, scilicet homine : secundum id secundum quod homo prædicatur de Sorte : secundum idem enim homo recipit prædicationem animalis et prædicatur de Sorte, secundum suam naturam, et hoc modo major est vera, minor autem falsa. Alio modo contingit prædicari de predicato, non ut prædicato, id est non secundum illam rationem, qua illud prædicatur de suo subjecto prædicatur, sicut in proposito species non prædicatur de homine in quantum homo est prædicatum Sortis, id est non prædicatur de homine secundum illud esse, quo homo prædicatur de Sorte : eo quod homo prædicatur de Sorte secundum suum esse quidditativum absolute : species autem prædicatur de homine non secundum ejus esse quidditativum, sed secundum esse quod in intellectu habet : et hoc modo major est falsa, minor autem vera semper : ergo altera premissarum est falsa. Et hoc est quod in littera dicitur, quod ratio speciei non convenit homini secundum suam

absolutam considerationem, secundum quam convenit sibi prædicari de Sorte : quia sic oportet etiam convenire Sorti (ut supra dictum fuit) sed convenit ei secundum esse in intellectu secundum quod esse prædicatur de Sorte.

Et tamen prædicari convenit generi per se, cum in ejus diffinitione ponatur. Prædicatio enim est quoddam, quod completur per actionem intellectus componentis et dividendis, habens tamen fundamentum in re, ipsam unitatem eorum, quorum unum de altero dicitur. Unde ratio prædicabilitatis potest claudî in ratione hujus intentionis, quæ est genus, quæ similiter per actionem intellectus completur; nihilominus id, cui intellectus intentionem prædicabilitatis attribuit, componens id cum altero, non est ipsa intentio generis, sed potius id, cui intellectus intentionem generis attribuit, sicut quod significatur hoc nomine animal; sic ergo patet qualiter essentia vel natura se habet ratione speciei, quia ratio speciei non est de illis, quæ conveniunt ei secundum suam absolutam considerationem, neque de accidentibus, quæ consequuntur ipsam secundum esse, quod habet extra animam, ut albedo vel nigredo : sed est de accidentibus, quæ consequuntur eam secundum esse, quod habet in intellectu, et per hunc modum convenit sibi ratio generis vel differentie.

In hac quarta parte capituli hujus respondere intendit cuidam tacite objectioni, quæ talis est : quod per se prædicatur de speciebus, convenit ipsis speciebus : sed ly genus, per se prædicatur de speciebus, puta homine et bove : ergo ly genus, convenit ipsis speciebus, et sic homo erit genus et similiter bos. Major est ex terminis nota : implicat enim quod aliquid per se prædicatur de aliquo in quocumque modo perseitatis et non conveniat illi. Minor probatur sic : illud, in cujus diffinitione ponitur prædicari de speciebus, per se prædicatur de illis : sed ly genus est, in cujus diffinitione ponitur prædicari de speciebus : ergo genus per se prædicatur de speciebus. Major syllogismi hujus patet ex eo, quod quælibet pars diffinitionis in recto in primo modo perseitatis convenit diffinito. Minor autem ex Porphyrio patet sic dicente : genus est prædicabile de pluribus specie differentibus.

Similiter omnino potest argui de specie respectu individuû, cum etiam in diffinitione speciei ponatur prædicari de individuû, et sic videtur quod male dictum sit, Sortem non esse speciem. Hujus objectionis in littera motivum tantum tangitur, cum dicitur : et tamen prædicari per se convenit generi, cum in ejus diffinitione ponatur.

Responsio autem in residuo ponitur, in quo ad plenam materiam hujus discussionem duas distinctiones innuit. Prima est, prædicari dupliciter capitur, scilicet formaliter, et fundamentaliter, seu materialiter. Secunda est, genus dupliciter accipitur, scilicet formaliter, et fundamentaliter, seu materialiter. Et debet scire, ut terminos intelligas, quod in hac propositione : homo est animal, sunt tria, scilicet ly homo, ly est, et ly animal, quæ extra animam nihil aliud sunt, quam natura humana importata per ly homo, et natura sensitiva importata per ly animal, et unitas seu conjunctio earum inter se importata per ly est, hæc enim tria intel-

lectus apprehendens in secunda sua operatione format hæc propositionem : homo est animal, quæ formata reflectendo se super illa tria, ut terminant actum sui componentis adinvenit et attribuit eis quasdam relationes : et ly homo, attribuit relationem subjecti : et ly animal, relationem prædicati : et ly est, relationem prædicationis. Unde prædicatio formaliter est illa relatio adinventa ab intellectu : fundamentaliter vero seu materialiter est conjunctio rei prædicatæ cum re subjecta. Similiter cum intellectus apprehendit naturam sensitivam, et reflexerit se super illam, ut stat sub actu ejus, videritque eam ut sic indifferenter se habere ad species in quibus illam respicerat naturam illam salvari, attribuit naturæ sensitivæ seu animali objecto relationem generis : et sic genus formaliter est illa relatio, genus autem fundamentaliter seu materialiter est natura ipsa, puta sensitiva : et sic patent termini distinctionum.

Ex his tria deducuntur. Primum est, quod cum genus fundamentaliter, puta animal, non includat in diffinitione sua prædicationem fundamentalem, quia in diffinitione animalis non ponitur conjunctio ejus cum homine vel bove, neque prædicationem formalem, quia in diffinitione rei non ponitur res secundæ intentionis, consequens est quod genus formaliter sumatur, quando diffinitur a Porphyrio.

Secundum est, quod cum in diffinitione generis formaliter non cadat prædicatio fundamentalis de specie, puta homine; quia relatio generica non est conjuncta realiter rei, quæ denominatur species, consequens est, quod prædicari de pluribus positum in diffinitione generis, sit accipiendum formaliter, scilicet pro relatione prædicationis; una enim relatio potest cadere in diffinitione alterius, ita ut conceptus relationis, quæ est prædicatio de pluribus, etc. cadat in conceptu relationis, quæ est genus. Et hinc habes, quam conformiter S. Thomæ dicant asserentes genus et speciem diffiniri pro secundis intentionibus in concreto.

Tertium deducendum est, quod aliquid dicitur prædicari de specie dupliciter. Uno modo, ut res denominata prædicabilis de speciebus, et sic animal prædicatur de homine et bove. Alio modo, ut id, quod res denominatur prædicabilis de speciebus, et sic genus, in cujus diffinitione ponitur prædicari de speciebus, prædicatur de ipsis speciebus. Sicut aliquid dicitur disgregativum visus dupliciter. Uno modo ut res denominata disgregativa visus, hoc enim modo nix dicitur disgregativa visus. Alio modo, ut id, quod res denominatur disgregativa visus quemadmodum albedo dicitur disgregativa visus, cum in diffinitione ejus ponatur, disgregare visum. Et sicut stant ista duo simul, scilicet quod res diffinita per disgregare visum est albedo, et non nix; res autem denominata disgregativa visus est nix et non albedo : ita præcise in proposito stant ista duo simul, scilicet quod res diffinita per prædicari de speciebus est relatio generica; res autem denominata prædicabilis de speciebus est natura, quæ subest illi relationi, puta animal : ita quod res diffinita per prædicari, etc. est genus formaliter non materialiter, res autem denominata prædicabilis est genus materialiter, non formaliter. Unde in littera dicitur, quod ratio prædicabilitatis clauditur in hac intentione, quæ est genus : id tamen, cui intellectus intentionem prædicabilitatis attribuit non est ipsa intentio generis sed res cui etiam ipsa intentio generis attribuitur.

Ex quibus patet responsio ad objectionem : quia loquendo de eo, quod per se prædicatur de speciebus, ut res denominata prædicari, vera est major, sed falsa minor; loquendo autem de eo quod per se prædi-

atur, ut ratio denominandi falsa est major, licet minor sit vera. Unde cum semper altera premissarum sit falsa, nihil concluditur. Hæc distinctione nunc assignata in terminis simplicibus sic ut poteris, prædicabile de speciebus dupliciter, formaliter et denominative, quod prædicatur de homine et bove denominative est animal: quod autem prædicatur formaliter de homine et bove, est genus, de prædicabili nominative falsa est minor, de prædicabili formaliter falsa est major. Hæc dicta cum applicaveris ad speciem respectu individuorum ad differentiam, proprium, et accidens, et reliqua hujusmodi, solves multas objectiones, et illucescet tibi veritas multarum propositionum, quæ obscura apparent. Residuum capituli est Epilogus: per se patet et cetera.

## CAPUT V

*Quod simplicium substantiarum essentia minime sit ex materia et forma quid compositum, sed tantum forma, non item comparetur compositorum essentia, et quod ex esse et essentia sit composita. Quod denique intelligentiæ effectivæ sint a Deo ex actu et potentia composita, multipliciter ostendit.*

Nunc restat videre secundum quem modum essentia sit in substantiis separatis, scilicet in anima, intelligentiis, et causa prima. Quamvis autem causæ primæ simplicitatem omnes philosophi concedant, tamen compositionem materiæ et formæ in intelligentiis et animabus quidam nituntur ponere, ejus positionis fuisse dicitur Avicebra Auctor libri Fontis vitæ. Hoc autem dictis philosophorum reperitur quid esse contrarium, quia eas substantias a materia separatas nominant, et absque omni materia esse probant, ejus demonstratio potissima est ex virtute intelligendi, quæ in eis est. Videmus enim formas non esse intelligibiles in actu, nisi secundum quod separantur a materia, et a conditionibus ejus, nec efficiuntur intelligibiles in actu, nisi per virtutem substantiæ intelligentis, secundum quod recipiuntur in ea, et secundum quod aguntur per eam: unde oportet, quod in qualibet substantia intelligente sit omnimoda immunitas a materia, ita quod nec habeat materiam partem sui, neque etiam sit sicut forma impressa materiæ, ut est de formis materialibus.

Hic incipit tractatus secundus hujus operis, intendens in duobus capitulis tradere notitiam de essentis substantiarum simplicium, quemadmodum tradita est de essentis substantiarum compositorum. Facit autem sex in presenti capitulo. Primo declarat, quod essentia in simplicibus non significat compositum quid ex materia et forma, sed formam tantum. Secundo comparat illas essentias essentis substantiarum compositorum. Tertio ostendit tales substantias esse compositas ex esse et essentia. Quarto declarat intelligentias habere esse effective a Deo. Quinto ostendit eas esse compositas ex actu et potentia. Sexto de multitudine eorum agit. Premissa igitur primo concordant sententia philosophorum de simplicitate omnimoda primæ causæ, et quibusdam dissentientibus circa immaterialitatem intelligentiarum adductis. Contra hos

talem conclusionem ponit: Omnis substantia intellectualis est immaterialis, id est non composita ex materia et forma, et independens a materia: quam sic probat, Omne patiens, vel agens, vel recipiens, vel habens in se intelligibile in actu est immateriale: omnis substantia intellectualis est patiens, vel agens, vel recipiens, vel habens in se intelligibile in actu: ergo omnis substantia intellectualis est immaterialis. Major quoad tres sui partes ex eodem modo probatur, scilicet ex hoc quod intelligibile in actu oportet esse immateriale, III de Anima, text. comm. xi et xv; agens autem rem immateriale oportet esse immateriale, eo quod agens non potest esse ignobilius suo effectu, ut dicitur III de Anima, text. comm. xviii, et text. comm. xl; recipere quoque immateriale non potest nisi res immaterialis, ut patet III de Anima, comm. v; unumquodque recipitur per modum recipientis: et per idem immotescit, quod habere non potest nisi res immaterialis immateriale cognoscibile in seipsa. Minor autem ab omnibus conceditur. Frustra enim esset substantia intellectualis nisi aliquid intelligeret, cum unumquodque sit propter suam operationem, ut dicitur II Celli, text. comm. xvii.

Nec potest dicere aliquis quod intelligibilitatem non impedit materia quælibet, sed materia corporalis tantum: si enim hoc esset rationale materiæ corporalis tantum, cum materia non dicitur corporalis, nisi secundum quod stat sub forma corporea, tunc oporteret, quod hoc haberet materia a forma corporali, scilicet impedire intelligibilitatem. Et hoc non potest esse, quia et ipsa forma corporalis actu intelligibilis est, sicut et aliæ formæ, sed quod a materia abstrahuntur. Unde in anima intellectiva et intelligentia nullo modo est compositio ex materia et forma: ut hoc modo accipiatur materia in eis sicut in substantiis corporalibus, sed est ibi compositio formæ et esse. Unde in commento nonæ propositionis libri de causis dicitur, quod intelligentia est habens formam et esse, et accipitur ibi forma pro ipsa quidditate, vel essentia simplici.

Quia posset aliquis credere rationem factam recipere responsum: ideo intendit hic excludere responsum, quia posset imaginari sufficiens. Ad hoc posset aliquis distinguere de materia corporali et materia simpliciter, et dicere quod major est vera de materia corporali, non autem de materia simpliciter, et consequenter concedere, quod omnis substantia intellectualis est immunitas a materia corporali, non autem a materia, quia non materia, sed materia corporalis impedit intelligibilitatem in actu.

Contra hanc fugam instatur ratione ducente ad impossibile sic: materia corporalis impedit intelligibilitatem per se: ergo forma corporalis est id unde materia habet, quod impedit intelligibilitatem: hoc est impossibile: ergo a destructione consequentis, etc. consequentia est nota ex terminis. Cum enim materia corporalis duo dicat, scilicet ly materia, et ly corporalis, et ex ly materia secundum adversarium non impeditur intelligibilitas in actu, restat quod hoc impedimentum sit ex ly corporali: sed ly corporalis nihil addit supra materiam, nisi formam corpoream: ergo ex forma corporali seu corporea oritur, quod materia impedit intelligibilitatem in actu. Falsitas autem consequentis pro-